

III.
NEOVIDENSIS

Nro 9. (*Neovidensis Nro 32.*)

Secretum litterarum commercium vivos
inter ac mortuos.

MARIA ROBINSON
salutem dicit Dominae a Genlis.

Elysium --- Meum. --- Die Martis 1 Maji 1804. (Neov. 17 Apr.)

Memoria Feliciæ, & præclara facta Dominae de Valiere, cum reliquis scriptis, quæ ipsa conscripserat, cedunt honori nostro sexui, refutantque opinionem morosorum Philosophorum, qui mulieribus omnem solidam rerum cognitionem abjudicant. Quas meæ Dominae propter hæc scripta in vos vellem congerere laudes, serotinæ forent, actò jam negotio venirem. Illis etenim jam plenæ sunt omnes Ephemerides. Attamen non succensebitis, judico, si quaspiam observationes, quæ mihi eadem scripta legenti sponte sua obortæ sunt, commemoravero.

Aurea tempora Ludovici XIV. erant splendida epocha Augustorum; incognita hætenus elegantia morum quaquaversum propagabatur. Noster sexus, qui omnium politarum affectionum præ ceteris capax est, se hæc in re peculiariter distinxit. Quam multæ celebres fœminæ hoc ævum ornarunt! Inter-

ea quemadmodum elegantia capiebat incrementa, ita affectus splendido ornatu tegebantur, ut eorum periculum atque moralitas non potuerint in oculos incidere. Refrigit sanctissimorum officiorum observantia, & digressiones a recta via, quas prius ex animo detestabamur, velo elegantioris sensus involvebantur.

Ea erat conditio hominum Romæ temporibus Augustorum, eadem Parisiis sub Ludovico XIV. Rex erat omnium elegantissimus in suo Regno, qui, si regia dignitate caruisset, potuisset splendore Alcibiadi æquiparari. Inter hæc severioris disciplinæ magistri clam gemebant ob diffuentes mores, verebanturque, ne malum exemplum Aulæ corrumperet populum: Homines quidem mitius ingenium induerunt, at discesserunt ab officio. Initio sociales Principum fœminæ, & legibus adversa cum iis familiaritas Aulicos attonitos reddidit; sed eminentia honoris, quæ ipsis tribuebatur, factum est, ut idmodi mutationibus adsuescerent; his spectaculis Regio fuit refertissima.

Nisi fallor, hoc momentum est assumendum, ut variam eorum temporum formam usque castellum Versaliarum prosequamur. Descriptio horum temporum aliam considerationem non meretur, quam venustate palliata scelera. Non me latet, similibus expositionibus res jucundas revocari in memoriam, immo etiam atque etiam perspicio elegantię gustum mores emollire, sed, mea Domina, pace tua dixerim: Valeria,

licet ejus dotes, & virtutes magnis laudibus efferantur, erat miserabilis fœmina, quæ principio receptis legibus, & consuetudini renitebatur, at dein plena cupiditatibus laxaverat frœna.

Ego sic existimo, harum rerum historiam cum illis tantum privatis personis communicari oportere, quas accurata suorum officiorum impletio difficillimis licet temporibus conspicuas fecit. Sexus noster habet peculiaria officia; Et quæ persona illis nulla habita ratione illecebrarum, adversitatumque ad amussim satisfacit, illa duntaxat consequitur celebritatem nominis.

Volvens Scriptorum comparationem, quam hi faciunt inter tempora Ludovici XIV. & tempora Romanorum Augustorum, comperio in hac postrema periodo longe celebriorem vixisse mulierem, quam in prima fuerit Valeria. Hæc omnium matronarum clarissima fuit Octavia, filia Octavii & Atiæ, soror Cæsaris Augusti, neptis Julii Cæsaris. Hujus vitam oppono vitæ Valerianæ. Quanta dissimilitudo!

Octavia in urbe principe orbis omnes ætatis suæ fœminas pulchritudine supergressa est. Claritate natalium nemini cessit, ex ea enim prognata fuit familia, quæ orbi dominabatur. Externam ejus venustatem commendabant mansuetudo, circumspectio, & affabilitas. Vitam illa ad omnem virtutis legem, decorique rationem exegit. Ætate, qua illecebræ, corruptela morum, & pravitas invaluerant, castimonix laude floruit, nihil

que a se desiderari passa est, quod officii ratio postulabat. Nuptum data est Claudio Marcello, cum quo vitam duxit felicissimam, & ab omnibus probis in exemplum fidei conjugalis proponebatur. Mortuo hoc processit ad secundos thalamos cum Marco Antonio, ut pacem in Triumviratu instauraret; patriamque ab ulteriore interitu conservaret, sed etiam in hac conjunctione ostendit, quodvis officium sibi sanctum esse. Equidem eximia ejus formositas, meritaque virtutum Antonium fascinaverant, at levitas animi, variable ingenium, & cupido gloriæ eundem induxerunt, ut in Ægyptum concederet, illicitosque cum Cleopatra amores renovaret. Infelix libido viri alias præstantissimi! Octavia, ut primum mariti sui lasciviam intellexit, curam omnem in modum, quo eum ex hoc labyrintho posset eripere, defixit. Concessit Athenas; curavit conscribi militem: oravit, ut ad officium, & in patriam rediret. Lachrymæ, preces, omnia probitatis argumenta non poterant Antonium amore captum a proposito dimovere. Nunciavit Octaviæ, ut confestim Romam reverteretur, addiditque indignas comminationes.

Hoc facto commotus Augustus statuit ulcisci injuriam. Magnanima Octavia excusabat perfidiam conjugis; conabatur Augustum rerum diversarum obtentu mitigare: repetebat preces, obtestationesque; sed omnia in cassum. Deliberatum erat Antonium subigi oportere. Post tristia ejus fata Octavia mœrorem ex animo delere non valuit; vixit in

domo Augusti æstimata ab amicis æque, atque inimicis, summam felicitatem reposuit in educandis suis prolibus, quibus se totam consecraverat. Tandem excussis omnibus novis connubiis, quæ illi a primis familiis offerebantur, & ægritudine confecta supremum obiit diem anno circiter undecimo ante Christi nativitatem. Ipse Augustus illi funebrem dixit orationem, fuissetque in numerum Dearum relata, nisi hunc honorem vivens deprecatione avertisset. Postea in omnibus familiis tanquam insigne conjugalis amoris, & domesticæ virtutis exemplar proponebatur. Roma ejus mortem luxit, virtutesque fastis inscribendas jussit.

Hæc est brevis, & compendiaria Octaviæ historia. Rara avis, talis mulier. Quo autem tempore hæc virtus enituit? Pone tibi ob oculos Romam, caput mundi, omnesque ejus sceleratas improbitates, atque in medio harum integritatem Octaviæ.

Hodie quidem est consuetudine introductum, ut loco fabularum Romanensium Biographiæ scribantur; sed quæ causa, quod facta magnorum virorum in manus obscurorum auctorum veniant? Ex quo tempore Plutarchus Biographias virorum, qui apud Romanos, & Græcos immortalem adepti sunt laudem, memoriæ prodidit; non est scribitor, non Advocatulus, non Cancellista, qui non cuperet imaginem suæ vitæ expressam videre. Sed bene notandum, ingens esse discrimen inter vitam Valeriæ, & vitam Octaviæ.

Hæc sunt, mea Domina, quæ mihi tua scripta legenti occurrerunt. Ego etiam, cum viverem, elucubrandis operibus distinebar; calamitates cultioris vitæ romanensibus fabulis exornare fuit meum studium, & gloria. Proveciore ætate earundem fabellarum inanitem perspexi. Tu quoque, Domina Genlis, eam jam agis ætatem, qua necesse est omnibus desideriis nuntium remittere. Probabilius tua te experientia, & asperitatibus plena via, quam trivisti, eo impulit, ut celeberrimæ mulieris fata describeres. Mihi tamen videtur Octavia plus emolumenti allatura, tametsi ex Galliis oriunda non fuerit. Nam virtus ubique magni fit, ubique habet patriam. Vale.

Biographica

Maria Robinson ingeniosa Angliæ vates, illustri Derbyorum stemmate nata. Ineunte adolescentia data est juveni cuidam jurisperito in matrimonium, quod cum animorum conjunctionem non efficeret, paucos post annos dissolutum est. Primum A. 1767. egit comicam sub directione eximii Davidis Garrick, & omnium spectatorum oculos in se convertit. At paulo post consilio Principis Valliæ theatrum reliquit, seque versibus faciundis applicuit, in quo genere novas, easque immortales laureas sibi comparavit. Pauci illius temporis scriptores majori felicitate Musas tractabant. Ejus Poëma: *Sight, & Stanzas*, quod in transitu ex portu Dubrensi ad Caletanum composuit, singularem unicuique Poëtæ Anglicano peperisset existima-

tionem. Mira facilitate tractabat carmina. Optima ejus opera, paulo antequam moretur, collecta sunt in unum volumen, cui titulus: *Lyrical Tales*. Splendor rei domesticæ, & amœna cum hominibus agendi ratio effecerunt, ut per decursum plurium annorum eam ingeniosissimi, politissimique viri adirent. Quilibet eam æstimavit, amavitque. Ultimis 12 & 13 vitæ annis insanabili rheumatismo affligebatur, qui corporis vires nimium enervavit; hoc tamen malum minime infregit sive vim ingenii, sive conatum animi, nam ferme omnia ejus litteraria opuscula hoc temporis intervallo compilata sunt. Obiit Londini exeunte Anno 1800. Ejus scripta, si demas unam politicam dissertationem, & unam ex germanico sermone factam versionem, constant Poematibus, versu potissimum Lyrico deductis; Comediis, & fabulis romanensibus. Hæc ultima maximam partem deproperavit, propterea tamen merentur anteferri multis aliorum ejus rivalium laboribus; illam enim nec inveniendi, nec collocandi ars deficiebat, & recte hæc opera erant, quæ illi in Gallia, Germania, aliisque regionibus gloriam comparavere.

Extractus submissæ a quodam Parocho Epistolæ.

„Parochus quidam Almae Dioecesis [Nitriensis, dum super honorificentissima Excellentissimi, Illustrissimi, et Reverendissi-

mi Domini, Domini Francisci Xaverii Fuchs etc. Praelati sui ad neo-erectam Archi-Episcopalem Cathedram Agriensem, cum Officio Supremi Comitatus I. Comitatus Hevesiensis, transpositione meditaretur; quamvis inde a tempore emensi Scholarum curriculi vix aliqua metra concinnaverit; modo tamen haec ei inciderunt:

*Praesul Franciscus duplici donatur honore.
 Haec sunt virtutis praemia digna suae.
 Archi-Praesuleam tribuit nunc Agria Sedem,
 Hucdum Praesuleo sat decorata pedo.
 Supremi Comitatus dat Heves Provincia munus,
 Nittra quod excelso non dedit alma Viro.
 Nittra geme! orbaris vero Pastore, verendo
 Patre, et munifico Praesule, Nittra geme!
 Agria plaude et Heves! quem ereptum Nittra
 luget;
 Vos laeti Vestro suscipitote sinu.*

quae licet sublimi, vel ornato poëtico stylo (a cujus exercitio Parochus aliis muniis intentus necessario arcetur) concepta non sint; ad testificandam nihilominus erga suum gratiosissimum Praelatum sinceram filialem reverentiam et gratitudinem, Ephemeridibus inserenda demisse rogat: maxime, cum illa, quae hic paucis oculis, et epithetis Excellentissimi Praesulis concluduntur encomia, toti poene Regno Hungariae nota sint, etc.⁶⁶